

*Bellon. de Aquatilib. lib. 1.*

*Varro R.R. lib. 3.*

octo aut novem. Non tantum in fluminibus, sed et in lacubus, sed et iis paucis dedit. In Lario invenitur, in Constantiensi non item. Ab Ausonio inter Mosellae, a Bellonio inter Strymonis pisces refertur; sed nec claustra refugit. Dulci piscina inclusus, crescit, pinguescit, et prolem propagat. Expressus Varro. In tertia parte quis habebat piscinam nisi dulcem? et in ea duntaxat Squalos et Mugiles pisces? Servari diu et in aqua pura potest, si eandem saepius mutaveris, vas ad summum repleveris, nec quicquam aliud injeceris, alias suffocantur. *Vescitur coeno et fordibus*, ideo un Vilain in quibusdam Galliae locis dicitur: scarabaeis et animalculis, qui in aquae superficie natant; gryllis quoque campestribus, et uvae acinis, et muscae genere, quod propterea Aletmuggen Helvetii dicunt; cerebro denique bulbulo, ideo a piscatoribus hamo subtiter alligatur. In locis littoribus proximis, in fine veris et sub aestatis initium parit. Mense Majo parere ab uno latere, ab altero quando Cerasa, quae Helvetii Amarella vocant, matura sunt, postea aliqui Gefnero teste prodidere. Inter gregales esse censentur. *Usum in cibis si spectes*, inter viles censetur. Carne quidem est candida, sed insipida ac molli, et quae mox extra aquam flaccescit, pluri-

mis abundans aristis; utrumque tetigit Ausonius dum canit:

*Viscera praetenero fartim congettus aristis,*  
*Nec duraturus post bina trihora mensis.*

Improbantur prae caeteris, qui in lacubus, et in magnis coenosisque fluminibus capiuntur; quamobrem Romae, quod vel ex proximis lacubus, vel ex Tyberi afferatur, parvifit, cum aliqui Tyberinus in ligneis vasibus diu vivus conservetur. Contra, in limpidis, parvisque ac saxosis fluviis torrentibusque captus, haud omnino aspernari debet, maxime ubi adolevit.

Major enim factus, minus mollis est, ut hic etiam, sicut de Barbo dimis ex Ausonio, in senecta praeferrendus videatur. Commandantur apud nos verno potissimum tempore, cum praegnantes sunt: Alii tradunt per totam hyemem admitti mensis posse, et vere etiam usque ad initium Maji: aestate non probari.

Gefnerus apud suos commendari scribit mense Decembri, placereque circa Calendas Octobris, quo tempore unum ovis gravidum, inquit, reperi: magnus is et praepinguis erat: ova quoque sapiebant palato: nec ullae apparebant *spinae*. Idem caput in eo praeferrri afferit.

## ARTICVLVS II.

### De Capitone fluviatili, seu Squalo minore.

*TAB. XXVI. Aldrovand. de Piscibus l. 5. c. 18.*

7.

Frequens in fluviis est, inquit Gefnerus, vulgo nominatus ein *Hasble*, in lacu juxta Tugium *Ganghasble*, vel communiori nomine *Weißfisch*, quasi albus pisces, item alio nomine *Mayfisch*, a Mense Majo, quo paeferuntur, quod nomen *Alaufis*, quoque attribui putat. Italicum hujus pisces nomen nisi *Stretta* sit, (a corpore longiusculo forte, et stricto, id est, minime lato) in Lario lacu, et in Verbanio *Gravetta*, aliud se nescire profitetur. Haec vero cum scripsisset, pescator Lucarnensis in Verbanio vocari ei afferuit, *Letta* vel *Aletta*.

Conjicitque eundem forte esse qui Papiae *Cabacello* dicitur. Germanicum *Hasble*, videtur lepusculum significare, forte quod agilitate ac celeritate natandi lepores representet. Ipse *Cephalos* aut *Mugiles* fluviatiles minores vocat, quod fluvatilem *Cephalum* sive *Squalum* magis quam *Leuciscos* referat, adeo ut ione opus esse neget. *Piliculi*, inquit, sunt molles, duos aut tres palmos longi, albantes per dorsum in viridi nigricantes, cauda et pinna dorsi glaucis; caeteris rubicundis minime lati.